

Alciatus autem omnium felicissimè sic vertit, ac expressit in Emblematis. Pietas filiorum in patrem.

*Per medios hostes patria, cum ferret ab igne,
Æneas humeris dulce parentis onus.*

*Parcite (dicebat) vobis sene adorea, rapto
Nulla erit, erepto sed patre summa mihi.*

Sed iam ynceri Sannazarij cultissimum Epigramma in gemmam suam afferamus, in qua constat fuisse sculptum Ænæam Anchisen patrem & Ascanium gerentem, quam gemmam è ruinis Sinuessæ ciuitatis erutam ità ille celebrat lib. j. Epigrammatum.

*Hæc, mihi quæ roseos iussit sordere hiacynthos,
Et nitet articulis unica gemma meis,*

*Cuius in exiguo ductor stat Troicus orbe,
Anchisesq; senex, Ascaniusq; puer.*

*Quis credat? veteres inter neglecta ruinas,
Et vili latuit semisepulta solo.*

*Tu tamen obrueras, nec te Sinuessa pudebat
Hoc decus heu terris occuluisse tuis.*

*Scilicet Æneam, natumq; patremq; gerentem,
Ignibus ereptos obrueresq; Deos?*

*Parcere debueras, cui iam pia flamma pepercit,
Nec te tam turpi dedecore nota.*

*Et dubitem Belgasq; feros, rigidosq; Britannos
Hæc comite ignotos & penetrare sinus?*

*Hæc est Iliacos pietas spectata per igneis,
Cum verita est profugos laderè flamma Deos.*

Nunc ad ea numismata, quæ pietatem præferunt deueniamus. In Nummo argenteo Otacillæ Seueræ Augustæ, vbi eius extat imago, hæc sunt verba in primo orbe, OTACIL. SEVERA AVG. in altero autem orbe extat pietatis imago ita expressa, vt manum habeat expansam, læua pallam in vnam sustollat, cum hac inscriptione, PIETATI AVGVSTAE. manum autem habere passam adorationis apud veteres signum erat, vt apud poëtas, & alios scriptores est legere. Hinc Virg. iij. Æneid. cum Anchises Dijs vota facit ait,

*Et pater Anchises passis de littore palmis,
Numina magna vocat, meritosq; indicit honores.*

Manum autem protendere, seu tollere signum victoriæ fuit, vt etiam Plato in secundo de legibus auctor est. pacis petendæ etiam indicium fuit, vt Alexand. in Genialibus lib. iij. cap. vlti. in fine narrat. In alio numismate æreo, de quo etiam in Iulij Caesaris numismate mentionem feci, insignia sunt Pietatis. in anteriori parte imago est Maximi Pupieni his notis, MAXIMVS CAES. GERM. in posteriori autem est vasculum libationis aptum seu infundibulum & patera, cū lituo aspersorio, & lucernula. inscriptio est PIETAS AVG. & hæc